

EXPOSITIO

nearum passum est laterculo astruxerūt. Sciat & Vitruvium in quinto, ubi agit de portibus, & structuris in aqua faciendis similem fecisse constructionem. Tunc proclivatio ea impleatur arena, & exaequetur cum margine, & planitia puluini: deinde insuper eam exaequationem, pila quam magna constituta fuerit, ibi struatur. Quare si sic, ut puto, perscuerat corruptus librorum vitio locus, neque sensus constabit, neque constructio, nisi implexa & litigiosa grammaticis. Sed ut utraque consistent, sensus scilicet, & constructio, tam ingeniosis, quam grammaticis, & operi verba sint conformia, et opus verbis: animaduertendum est, quod postquam Caesar descripsit modum fugiendi, & adigendi tigna in fundo fluminis, ex qua adactione magnam stabilitatem & firmitatem assecuta sunt, uertit se ad bipedales trabes, quae transversam totius pontis latitudinem perficiebant, & qua ratione possint, & quo modo sustinerentur, docet, dicens: Quod super haec utraque, id est super bina tigna, quae & in parte superiori, & ea quae in parte inferiori posita erant bipedales trabes, immixtae, quantum eorum tignorum iunctura distabat, binis utrinque fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus disclusis & in contrariam partem reuinctis &c. In hanc eandem sententiam mecum uenire uidetur Leo Baptista Albertus, uir & ingenio & literis clarus, in suo de architectura, qui eiusdem Caesariani pontis descriptionem repetens, non aliter ei uisum fuit